

**Tentamen medicum inaugurale, quaedam de typho complectens ... /  
Eruditorum examini subicit Daniel Conolly ... Hibernus.**

**Contributors**

Conolly, Daniel.  
University of Glasgow.

**Publication/Creation**

Glasgae : In aedibus academicis, excudebat Andreas Foulis, academiae  
typographus, 1788.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/y2x4bzhm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under  
copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made  
available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial  
purposes, without asking permission.

12

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
QUAEDAM DE  
TYPHO  
COMPLECTENS:

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
*Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii*  
ARCHIBALDI DAVIDSON, S.S.T.P.P.  
ET COLLEGII GLASG. Praefecti

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu ;*  
*Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto ;*  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;  
IN COMITIIS  
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,  
Eruditorum examini subjicit

DANIEL CONOLLY, A. M.  
HIBERNUS,  
Societ. Chemicæ Edinb.  
Societ. Chirurg. Obstetricæ,

NEC NON

Societ. Hibern. medicæ, quondam Sodalis.

Ad diem 30 Maii, hora prima, p. m. loco solito.

*Felix qui potuit rerum cognoscere causas.* VIRG.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,  
EXCUBEAT ANDREAS FOULIS,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS  
M,DCC,LXXXVIII.

WILLIAM MEDICAL  
LAWSON  
OF  
THE  
COMMISSIONERS

AND  
GENERAL DAVIDSON & T.P.  
THE  
DOCTOR  
UNIVERSITY CLASSICAL

DANIEL CONOLLY, A.M.  
H. B. R. U. S.  
Society. Chemical & Physical  
Society. Mining, Metallurgy  
Society. History, Medicine, Quackery & Social  
Addition to Hall, and other  
The following were elected

GLASGOW  
IN ACADEMIC  
ACADEMIC  
MEDICAL

VIRO  
PER QUAM HONORABILI  
THOMAE CONOLLY  
DE LEIXLIP

QUI  
MAJORUM VESTIGIIS INHAERENS

OB  
PATRIAE AMOREM  
SPECTATISSIMUS:

QUI,  
QUICQUID EST ARTIUM LIBERALIUM,  
BENEVOLENTIA FOVET,  
AUCTORITATE TUETUR,  
EXEMPLO COMMENDAT.  
HAS MEDICAE ARTIS PRIMITIAS

S A C R A S

V O L U I T

A U C T O R.

Professor Cummine  
with compliments  
from the Author

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUAEDAM DE

TYPHO

COMPLECTENS.

**N**ULLUS forte morbus est, qui diligentem medici considerationem et curam magis mereri videtur quam febris illa dira, quae Typhus nuncupatur. De hac febre nulli nec sexui, nec aetati, nec conditioni vitae parcenti in hac dissertatione dicturus, lectores oratos volo, ut, si quae minus accurate dicta videantur, mihi aequo animo ignoscant, quippe cui tempus ad alia potioraque forte proferenda semper inter aegrotos versato defuit.

A

## DEFINITIO.

Morbus contagiosus, calor parum auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, urina parum mutata, sensorii functiones plurimum turbatae, vires multum imminutae.

## HISTORIA MORBI.

Statim ab initio morbi frigus, dein rigor calorque vicissim maxime ad vesperam suboriuntur; tremiscunt manus et fessi sunt artus. Fastidium est cibi, et maxime ex carnibus confecti; succedunt somni inquieti, animi languor, capitifque dolores; plus solito micant arteriae, albescit lingua.

Ingravescente morbo, die plerumque quarto, vel etiam quinto in pejus omnia

ruunt: nausea, vomitus, aurium tinnitus, dorfi, lumborum, capitisque dolores acuti aegrum vexant: dolent etiam articuli majores; quae omnia noctu pejora fiunt. Pulsus quoque tremulus, tardus, nonnunquam intermittens, varius est vultus. Difficultas respirandi, et angustiae in praecordiis, halitus ex ore ingratus.

In urina, si vel pallida vel rubida sit, saepe subsidet vel natat quid varium, et leve, et furfuraceum, quasi nubeculae; in morbo proveciore foetida cruentaque interdum redditur.

Lingua arida, fusca, fissurisque notata durefcit, et ex ore protensa vehementer tremit. Aphthae primum fauces obsident, dein versus anum porriguntur, hinc dysinteria, et quae mala inde sequantur.

Quod ad alvum attinet, scire licet, in diversis esse diversam. In Nosocomio



Edinburgenſi per annos duos proxime elapſos, in Noſocomio etiam Haſleriano, Plymuthiano, ſaepeius etiam Dublini, et apud Sligo in Hibernia inter medendum per ſex fere annos obſervavi diarrhaeam, ſi unquam ſupervenerit, ullis remediis vix unquam ſupprimi poſſe; ſaepeius etiam ad finem morbi, faeces colliqueſcentes cruentas et foetidas reddi.

Coccineo colore ſuffunduntur genae, frigentibus interea et pallidis ſummo naſo, auribusque extremis. Sudores quam ſaepeius erumpunt, cutis tamen plerumque arida eſt.

Vultus, progrediente morbo, pallidiſſimus fit, caligant oculi, nec lucem perferre poſſunt, obtinet etiam delirium, ſomni ſunt abrupti, et per ſomnia tumultuoſi, vox adeo debilis, ut vix exaudiri poſſit.

Abdomen tumefcit interdum vehementer, cujus quidem ratio vix indicari

potest: vir celeberrimus Alexander Monro † Tympaniten nonnunquam supervenire affirmat, quod ni fallor laxitatem defectumque virium vitalium indicat. Epistaxis quoque malum grave multumque timendum haud raro locum habet. Cujus forte causa eadem ac in Tympanite jam memorata.

Vesica, viribus suis laesis, adeo interdum distenditur, ut paralytica fiat, quod celeberrimus Gregorius a stupore generali oriri judicat.

Res cum ita se male habent, magis magisque auferunt omnia debilitatis signa, subsiliunt tendines, micant languidius arteriae, stridunt dentes, obtinet saepe risus Sardonicus, fit furdior jam saepius aeger.

Eruptio petechialis dicta hunc morbum haud raro comitatur, supra cutem

† In Praelectionibus suis de re chirurg. &c.

vix eminent. Pectus, dorsum, brachia, totum etiam corpus interdum occupat, hujus eruptionis maculae adeo continuae visae sunt, ut aliam ex alia solertissimus medicus vix distinguere potest; tumores quoque parotidæi interdum apparent.

Morbo jam ad summum provento, franguntur animi cordisque vires, evanescit fere pulsus, tremulus, adeoque creber ut vix numerari possit, frigent extrema, pallescunt ungues, obtinet delirium, et aeger stimulis fortissimis haud suscitandus omni sensu privatur.

Morbi duratio incerta: si longius permanferit, fatuitas aliaque malorum genera subsequantur: cum ab initio gravior fuerit, omnes illius terminationes ante undecimum, et illo etiam die lethales plerumque evadent.

## D I A G N O S I S.

Nemo medicorum, ut opinor, Typhum cum alio morbo confundet, controversia inter medicos, num Typhus et Synochus idem essent morbus, feliciter jam sublata, si cui tamen hac de re ambigitur, audiat, si velit, Gregorii solertissimi verba, Typhus et Synochus, ait, eandem agnoscunt causam, et si quae differentia datur, statui corporis alicui, vel signis debilitatis citius feriusve supervenientibus, tribuenda est.

Variolarum materia insita, in aliis discretas, in aliis pustulas confluentes producit, idem etiam accidit, cum morbus epidemice grassatur; hi tamen non morbi diversi sunt: Duce analogia, inter Typhum et Synochum nullam differentiam instituere possumus, gradu tantum variant, atque quomodo pestis a Typho dif-

crepat. Statuerunt scriptores recentiores contagionem diathesi phlogisticae admodum Synochum gignere, sed signa quae Synochum indicant, debilitati brevi cedunt, et re vera morbus Typhi formam induit, huic transitui alterius in alterum favent copiosa sanguinis missio, et adjuncto regimine nimis calido cathartorum liberior usus.

Vir ille ingenio felici, Carolus White probare conatus est febrem puerperarum ad morbi nostri genus pertinere, nec incassum laboravit, arrident fere omnibus pulcherrima ejus argumenta viri doctissimi. Hulme et Leake de hac febre certant, quorum alter morbum a laesione aliqua inter parturiendum oriri affirmat; sed exempla multa narrantur quibus febrem puerperarum post septimum, vel nonum etiam diem a partu oriri comprobatur; in his nulla laesio locum habere potest, viscera virorum, qui hoc morbo perierunt, inflammata interdum inveni-

untur. Hic longius commorari supervacaneum esset, nullum enim alium morbum novimus, qui proprio caractere non sit discretus. Pemphigus quidem et cynanche maligna affines sunt, aut affines esse videntur: Eorum tamen diagnosis nemini lateat, cui praeceptoris nostri clarissimi Cullenii scripta sint nota.

#### CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Quamvis causarum excitantium notitia nostra manca et imperfecta sit, experientia tamen docet plurima esse quae homines contagioni obnoxios reddunt. Cum Constantinopoli pestis inter Judaeos saevit,\* aliis propter munditias vacare contigit. Domicilia squalida humidaque, omniaque difficilia concoctu, ingluvies, compotatio intempestiva, Venusque

\* Millman de Scorbuto, &c. page 114.

immodica, labor nimis durus, omnes animi motus vehementissimi, calor frigusque nimis aucta, diaeta parca, vita iners, evacuationes nimis largae, studia intensa, omnia denique quae vel debilitant vel irritant inter causas praedisponentes merito referuntur. Quomodo haec corpus humanum afficiant, brevis nostrae institutioni perquirere prohibet.

De frigore et ejus in corpus humanum effectibus, adeo copiose differuit doctissimus Cullenus,\* ut hic amplius ea de re dicere supervacaneum esset. Socii navales celeberrimi Cooke † ejus effectus apud Terra del Fuego infeliciter factis experti sunt, ipse Solander medicus qui diros praeviderat effectus fomnum excutere non potuit. Loci humidi et immunditiae faciunt, quo magis frigus etiam modicum Typho corpus obnoxium

\* Prax. Med. pag. 144. Vol. 1.

† Hawkesworth's Voyages, Vol. 1.

reddat, quemadmodum est videre in navibus pauperumque tuguriis. A frigore solo fatis jam constat Typhum raro aut nunquam originem ducere, quin potius ad phlegmasias esse referendum.

Calor, si nimis auctus sit, corporis vigorem imminuit, fibras laxat, brevique debilitat, ventriculi etiam tonus exinde interdum adeo laesus est, ut cibum etiam mitissimum vix recipere queat; mens etiam languida et ignava, umbras et otium quaerit, nervos etiam mire irritabiles reddit, Tetanum etiam producit. sanguinis circuitui et secretionibus inimicus est, exinde etiam Typhi occasionem praebet.

Vita iners malorum innumerabilium fons et origo, hominem ad vitae gaudia ineptum, segnem, et sui immemorem, brevi etiam morbo obnoxium reddit; laeduntur animi corporisque functiones, concoctio, sanguinis circuitus,



musculorum actio, et secretiones pigre perficiuntur, nervosumque genus mali particeps fit; quibus malis exercitatio modica occurrit, ne fiant. Quid ultra? omnia enim recensita eodem tendunt.

### CAUSAE EXCITANTES.

Halitus humanus in locis angustis admodum noxius fit, et Typhi causa sola quibusdam censetur, omnibus maxima habetur.

Venenum istud noxium a corporibus semper proveniens, contagionis semper esse causam, a nosocomiis neglectis, carceribus in regionibus calidis, navibus etiam in quibus plurimi simul concluduntur aegri, jam satis constat. Optime meruerunt de genere humano, qui nostris temporibus, de hac dira febre praecavenda praeclare quidem scripserunt. Priores, nescio quos terrores, sibimet

pinxerunt, atmosphaeram late longeque contagiosam fuisse; hinc avium fabulae istae super urbes volitantium, quae, si qua fides, morte repentina sint oppressae. Certiores tandem facti sumus contagionem in atmosphaeram late nunquam diffundi.

Vicus angustus, imo murus sex pedes altus, sanos a peste laborantibus tuto defendit, nisi enim conclusus sit aër non contagiosus fit; hinc est, quod stragula et lodices diros interdum effectus edunt; virus enim per aëra diffusum exitiale non esse compertum est. Exinde patet nosocomia, carceres, naves, et aegrotantium conclavia libero aëri exponi semper debere, hoc neglecto, aër brevi sibi alisque funestus fit; si tamen libere admissus fuerit, contagionem, omneque nocivum abigit. Calor contagionem, adauget, frigus si modicum diminuit, si tamen acrius fit, teste Lind, maxime urget.

Vestimenta, quoniam contagionis tenacissima sunt, mutari et aëri exponi saepius debent: Aceti etiam vapores in conclavibus, et sulphuris in stragulis, et quae alia aërem purum salubremque reddunt, omitti nunquam debent. Interea evitanda omnino sunt omnia, quae contagione sunt correpta.

Vir ille humanissimus et de genere humano optime merito Howardus, quemadmodum hi omnes, qui intra parietes a libero commercio populi sint seclusi, tuto servari debent, totam Europam docuit.

Philosophus ille celeberrimus Josephus Black, in praelectionibus suis contagionem interdum gigni ex piscibus putridis dicit: cujus quidem exemplum contigisse nautis in navi in mari Baltico aliquot ante annos memorat.

Nos etiam docuit Millmannus † hanc

† De Scorbuto, &c. page 116.

febrem ex miasmate paludum aliisque ejus generis oriri posse. Cujus verba haec sunt.

“ The chief exciting cause of these  
“ complaints is contagion, under which  
“ term I would include all sorts of mat-  
“ ter, occasioning putrid fevers †, as well  
“ that active poison which is generated  
“ by unclean persons in prisons or con-  
“ fined places, as those noxious effluvia  
“ which arise from low, marshy, un-  
“ wholesome grounds. As the specific  
“ nature of all such matter is unknown  
“ to us, and as experience has not yet  
“ taught us any antidote by which we  
“ can disarm them of their virulence,  
“ the prevention of the diseases which  
“ they are apt to occasion must depend  
“ principally upon our correction of that  
“ state of our body by which we are pre-

† Typhus Gravior of Dr. Cullen.

“ disposed to them, and upon our avoid-  
“ ing as much as possible the exciting  
“ causes at the time especially when we  
“ feel ourselves under the influence of  
“ any of the predisposing causes.

Nec disputare nec affirmare audacius mihi in animo est, observare tamen licet morbum hunc saepe sporadicum esse; tum aegri de aliquo vapore ingrato ex imis fossis, aut paludibus, aut ex putrescentibus conquesti sunt, et morbum exinde ortum sibi persuaferunt. Clarissimus Lind narrat Typhum halitu laborantium veteri diarrhoea, et variolis prognatum esse. Praeterea quotidie comperimus intermittentes in remittentes, et has denuo in continuas generis Typhodis abire; num causa ad intermittentes idonea gignendas, praedisponens, vel sola excitans habenda sit, nondum experientia mihi compertum est; impropria etiam methodus medendi sthenicos etiam mor-

bos in contrarios convertet, et si fides nonnullis scriptoribus habenda sit, pneumonia etiam in Typhum convertitur, hos Protei ludos nunquam ipse vidi\*.

Quoniam apud omnes constat, contagionem, quaecunque ejus sit origo eodem semper habere effectus, de ejus itaque origine nil opus est ut nimis anxiosus, ubicunque tamen oritur, corrigi, evitari, ejusque effectibus occurri debet.

De modo quo contagio corpus humanum afficit, pauca tantum dicenda; genus nervosum praecipue affici, omnibus fere medicis jam notum est; Cullenus peritissimus, invitis etiam Boerhaavii discipulis, hoc factum probavit, et merito jure cum poeta dicat.

*Exegi monumentum aere perennius.*

Hoffmannus nihil certum de hac re habet, et quae habet, imperfecta vaeque videntur.

Quomodo virus corpus humanum in-

\* Elementa Medicinae Doctoris Brown.

greditur, vix operae praetium est investigare, quoniam nemini latet diros semper edere effectus. Hi effectus plurimi esse putantur. Alii spasmodum et debilitatem, alii putredinem, aut quem alium effectum memorant, quemadmodum trahit sua quemque auctorem voluptas: eximius Gregorius tamen nos docuit, quomodo loqui decet, cujus quidem vestigia premere volo, quanquam in hac ipsa re me plurima fugisse lubentissime fateor.

### CAUSA PROXIMA.

In hac palaestra multi ingeniose sese exercuerunt. Nulla tamen eorum opinio adhuc prolata mihi placet, meliora vero proferre an possim dicere nequeo. Cullenus, ni fallor, spasmodum debilitati male adjunxit, quod pace illius clarissimi

viri dixerim; quo enim fugit spasmus, cum petechiae et vibices apparent, et cum sanguis ipse per cutis foramina evadit, vel cum sudores, ut saepe fit, ineunte morbo, erumpunt? Haec omnia non spasmus vasorum extremorum indicant; nec spasmus, me iudice, pro parte causae proximae existimandus est, nam in nullo morbi stadio illum percipere possumus, nisi cum ex alia causa pendeat; nec eorum opiniones placent, qui debilitatem solam pro causa proxima habendam esse statuunt; nam cum decessit morbus, debilitas non imminuitur, saepe augetur, et quanquam inter praedisponentes, omnia quae corpus debilitant, recensui; ratio tamen hujusce rei valde difficilis est, nec eam experientia satis comprobare videtur\*. Quo igitur nosmet vertemus? Celeberrimus Gregorius ingenue fatetur

\* In Nosocomio Edinburgensi observatum est phthisicos et hydropicos contagionem evasisse, dum robusti febre correpti sunt.



se nullam causam proximam assignare posse, qui debilitatem vel spasmus pro parte morbi habet, non vero pro causa proxima. Verba ejus proferre visum est.

“ The proximate cause of fever, tho’  
“ it has engaged the attention of physi-  
“ cians for many centuries, is yet ve-  
“ ry little known. Notwithstanding that  
“ Hoffman and Doctor Cullen have done  
“ away many erroneous hypotheses, their  
“ opinions concerning it are yet incom-  
“ plete, and by no means account for all  
“ the phaenomena of fever. Doctor Cul-  
“ len very properly makes the nervous  
“ system only, the seat of the disease; but  
“ the violent reaction, or inflammatory  
“ stage rarely occurs in that degree which  
“ would require the treatment inculcat-  
“ ed by Doctor Cullen. In the very  
“ robust it generally appears in some de-  
“ gree, but very soon gives way to the  
“ symptoms of debility.

“ In dislocations and fractures the proximate cause is very well known, for in all such, our bodies undergo the changes which may take place in inanimate matter. But fever is induced by a series of causes acting internally, somewhat similar to these which prevent fructification in trees, and referring the proximate cause to debility or spasm is unphilosophical, nay unfair, when referred to the latter, as there is no direct proof of its existence. If debility alone was the proximate cause, the fever would recur in the state of convalescence, and would never terminate, for, during that state, the debility is equal, and sometimes exceeds that during the disease\*.”

\* Haec inter alia plurima vir ille accuratissimus observavit in praelectionibus clinicis, et in illis de Medicina Theoretica.

## PROGNOSIS.

Haec pars medicinae conjecturalis existimatur, medico tamen licuit, semperque licebit signa quaedam proferre, quae, durante morbo, vel mortem, vel salutem portendere existimantur, de prognosi tamen Typhi admodum caute loquendum est.

In Typho, si delirium sit leve, et febris superveniat, si vires non multum frangantur, si solito situ aeger recumbere possit, si noctu dormitet, et interdium vigilet, si in hoc vel illud latus se facile convertat, si arteriae, cardiacis administratis, pleniores micant, si sitis sit modica, bona sunt.

Praetera, morbo proveciore, si redeat appetitus, si somni sint benigni; sudor lenis, salivae profluvium, alvus leniter laxa, et petechiae prius fuscae, si

rubrae fiant, itidem signa bona habentur. Surditas culpatur ab his,\* laudatur ab illis. †

Sequentia, quanquam pro infaustis habentur, spes bonas tamen nunquam amittere oportet juxta illud. Dum spiro, spero.

HAEC FUNCTIONES ANIMALES LAESAS  
ESSE INDICANT.

Cum motus voluntarii difficile et irregulariter perficiuntur, cum, porrectis cruribus et manibus resupinat aeger, cum deficit vox, cum strident dentes, cum oculi tarde volvuntur et oblique intuentur, et stimulis solitis organa propria non afficiuntur, nec mens sui compos est, cum coma, delirium, pervigilium, et dira insomnia aegrum vexant.

HAEC FUNCTIONES VITALES LAESAS  
ESSE INDICANT.

Cum arteriarum pulsus languidus et

\* Homii Principia Medecinae.

† Gregorii Observationes.

intermittens est, et extrema frigent, sudoribus interea frigidis erumpentibus, vultuque pallido; cum livefcunt ungues, et spiritus aegre trahitur et emittitur, deliquium animi corpore interea erecto.

HAEC FUNCTIONES NATURALES LAESAS ESSE INDICANT.

Cum, praeeunte anorexia, nausea et vomitus aegrum vexant, cum corrumpitur gustus, cum urina et faeces infcio aegrotante redduntur, cum lachrymae involuntariae genas irrorant, et deglutendi difficultas urget.

Sequentia humorum proclivitatem ad putredinem indicare existimantur.

Variae nimirum haemorrhagiae, petechiae, vibices, et serum flavum sub cutem, urina quasi sanguine tineta et graveolens; faeces, fudores, spiritus, totumque etiam corpus male olentia. Num his aequae ac aliis debilitatis signis occurrere medicus debet, medici certant et

adhuc sub iudice lis est. Argumenta tamen quae contra putredinem prolata sunt, mihi longe ante alia placent.\*

## RATIO MEDENDI.

Causà proximà ignotà; medici imprimis est, ventriculum et intestina probe exhaurire, et ne quid nocivum in his retentum sit, cavere; dein symptomatibus maxime urgentibus sedulo occurrere:

Ad hoc efficiendum emetica sunt administranda, quibus quidem morbus multum levatur, nec tantum evacuationis promovent, quantum actionis excitant, qua actione febris non raro depellitur, praecipue si ab initio morbi administrata fuerint; rem ita se habere experientia dudum docuit, quanquam de eius ratione nihil certum sit compertum.

\* Vide Millman de Scorbuto, &c.

Quomodo tamen emetica administra-  
ri debeant, nondum inter medicos satis  
convenit, quibusdam placet, ut ea quan-  
titate adhibeantur ut vomitum plenum  
et iteratum inducant; alii vero, ut nau-  
sea tantum exinde oriatur: quarum opi-  
nionum prior mihi magis arridet. Vo-  
mitus enim, ipso Lind testante,\* cum  
primum contagio visa fit, febrem alias  
superventuram, ne obtineat, saepe pro-  
hibet. Ut vero nausea, et per tres etiam  
vel quatuor dies inducatur, adeo debili-  
tati favet, ut ne robustissimus quidem  
et qui a morbo omnino sit tutus, inno-  
cuus evaderet; debilitati tamen occurre-  
re ante omnia medicum oportet, quae, si  
multum ingravescat, pessimum id existi-  
mandum est.

Emetica, quae utilissima mihi viden-  
tur, sunt, quae a stibio parantur, et in-  
ter haec aliis praestat Tartarus Emeticus,

\* Lind on Fevers and Infection, page 20.

si vero diarrhoea aliaque signa, quae usui tartari emetici obstant, supervenerint, Ipecacoanha est anteponenda.

Alvus clysmatibus lenioribus, quae ex aqua tepida, oleo blando, aliisque ejusmodi maxime constant, ducenda est.

Hisce administratis, si capitis dolor crucians, aurium tinnitus, arteriarum ictus validi, aliaque signa apparent, quae vulgo diathesi phlogisticae attribuuntur; Hirudines temporibus admotae, fomenta tepida ad pedes, potiones diluentes, et cardiacae mitiores ad irritationem diminuendam, somnumque inducendum merito laudantur. Julepum Salinum effervesces, et opium, prout ratio symptomatum postulare videtur, ad vomitum compescendum plurimum valent. Eorum tamen usu diuturniore abstinendum est, ne forte debilitas, malum pertimescendum, exinde inducatur.

*Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdin.*



Generalis sanguinis missio recte exolevit, topica vero interdum feliciter fatis adhibetur; Gregorius accuratissimus nos certiores fecit, in Typho cucurbitulas cruentas lateri propter signa pneumonica felicissime adhiberi, hirudines etiam propter oculorum graviores affectus, vel sanguinem versus caput derivatum, summo cum fructu temporibus applicari; imo et propter inflammationem ingravescentem ex brachio etiam mittere sanguinem\*

Quid tandem sibi vult actio specifica Hunteri?

Causa proxima ubi tandem invenietur? Nonne praestat symptomatibus urgentibus occurrere, quam causas obscurissimas investigando totos consumere annos?

Debilitati remediis tonicis et stimu-

\* Sic in praelectionibus suis praeclaris de Medicina theoretica observavit.

lantibus fedulo occurrendum est. Inter tonica frigus modicum recenferi debet. Potus frigidi praeclaros edunt effectus. Frigidulus aër aegro libere admissus plurima arcet mala, genus etiam nervosum languidum reficit, et febricitantes faucibus mortis eripere valet: totum etiam corpus frigidâ adjecto aceto lavari proderit†, et, si quando totum corpus immergi non conveniat, sponsia uti licet; et caput tantum lavari, abrafo prius capillitio, multum juvat. Stupor enim generalis et delirium saepe per hoc tolluntur; si tamen nil boni exinde oriatur, non abs re foret, epispastica praecipue capiti propter vim eorum stimulantem applicare.

Nulli tonicorum secundum esse corticem peruvianum experientia jamdudum probavit, quibus viribus etiam in genus nervosum in intermittentibus pollet, nemini latet; quod quidem eum aptissimum esse

† Howard's State of Prisons, page 23.

remedium in Typho arguere satis videtur. Plurimis aliis hujusmodi, quae hic numerari possent, longe anteferendus est cortex. An cortex, qui ruber vocatur, praestantior sit, ut quibusdam placet, nil certi habemus.

Inter stimulantia, vinum ventriculo et palato gratissimum, primum sibi locum vindicat; vim etiam tonicam habere nonnulli putant, circuitum sanguinis quoque excitat, animum exhilarat, dolorem et delirium lenit. Juxta vires autem aegroti administrandum est. Spiritus vini gallici, frumenti, et ejusmodi, si quando vinum comparari non potest, recte prescribi videntur; nec non cerevisia Londinensis illa, apud nos *Porter* dicta, vinum ex pomis, et tenuissima cerevisia ad libitum bibatur, nisi vetat diarrhoea. Succus etiam limonum in aqua cui adjectum sit paululum vini, vel spiritus vi-

ni gallici laudatur, fructus maturi itidem laudantur.

Cum deglutiendi facultatem amiserit aegrotus, ut saepe in ultimo morbi stadio fit, clysmata nutrientia cum vino tepido injicere oportet: si vero singultus, tendinum subsultus, motusque alii spastici a debilitate et mobilitate pendentibus miserum vexant, adhibenda sunt aether vitriolicus, moschus, et plurima alia, quae medicum peritum fugere non possunt.

Aegrum a locis aëre impuro refertis amovere decet, si hoc fieri non potest, aër corrigi aceti vaporibus, et liberius in cubiculo perflare debet, stragula aliaque vestimenta saepius mutanda, et quae excernuntur quam celerrime amovenda sunt.

Proclivitati, si quae adsit, ad putredinem hisce omnibus occurrendum est.

Diaetâ lautâ, munditiis, aëre puro, et cortice peruviano, morbus ne redeat, praecavendum.

Lubentissime hanc occasionem arripio publice testandi qua voce possum, quantis beneficiis me affecerunt viri praestantissimi et medici peritissimi in Hibernia, Gulielmus Gray apud Dublinum, Rogerus Jones, et Thomas Higgins apud Sligo, et Joannes Mongan apud Enniskillen; viro denique ornatissimo et in medicina nemini secundo, Joanni Purcell in Dublino, gratias quam publicas, et quam maximas, pro suis in me beneficiis quamplurimis collatis, suus quondam discipulus ago.

Restat denique, ut academiis apud Scotos celeberrimis Edinburgensi, et Glasguensi, pro ea, quâ me observantiâ Professores dignati sunt, omnia fausta feliciaque animo gratissimo exoptem.

F I N I S.



